

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA

De

ΘΕΟΓΝΩΣΙΑ NATURALI

Quam

DEO Duce

IN ELECTORALI AD ALBIM ATHENAEO

Sub

PRÆSIDIO

VIRI Præclarissimi atq; Doctissimi

DN. M. VALENTINI GREISSING,

Coronensis Transylvani, ac Serenis

Elect. Sax. Alumni

*Placidæ φιλοσοφῶντων disquisitioni
subjicit*

AUTOR & RESPONDENS

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS BRAUNIUS,

Mügelensis Misnicus, Serenis. Elect.

Sax. Alumnus.

Ad Diem XII. Januar. An. Ær. V.

cIo IoC LXXVIII.



WITTEBERGÆ,

Typis JOH. SIGISMUNDI Ziegenbeins,

VIRIS

Plurimum Reverendis, Praclarissimis, Dignissimis, Nobilissimo, Con-
sultissimis, longoq; rerum usu Prudentissimis

DN. M. AMBROSIO Hoffmann / Pastori Neo &
Palæo Mügellæ fidelissimo atque vigilantissimo,

DN. JOHANNI CONRADO Goldschad / Diacono
Neo & Palæo Mügellæ emerito,

DN. M. SALOMONI WILLIO, Vice - Diacono
Neo & Palæo Mügellæ dignissimo,

DN. ESAIÆ Cruciger / Præfecturæ Mügelenfis No-
tario fidelissimo, atq; Not. Publ. Cæs. spectatissimo

DN. ANDREÆ SCHMIDIO, p. t. clavum Reipu-
blicæ tenenti gravissimo, prudentissimo,

DN. GEORGIO Fiedlern / Consulibus de Republicâ sum-
me meritis.

DN. MARTINO Kressen / Curiaë amanuensi fide-
lissimo atque meritissimo,

DN. JOHANNI Taubern /
DN. JOHANNI Nauman /
DN. CHRISTOPH. Kirschten /
DN. MART. Springsguthen /
Ordinis Senatorii in urbe
Mügelenfis Adfessori-
bus gravissimis, dignis-
simis,

Dominis Patronis, fidejussori, Curatori, Affini atque Fau-
toribus omni observantiæ cultu æternum prosequendis,
suspiciendis

Hoc Exercitium Academicum
in gratæ mentis τερμηνειον ex pietate
affectuq; proluxissimo sacrum
esse cupit

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS Braun



Σὺν Θεῷ παλάμα!

Posteaquam omni adhibitâ in consilium ratione cum animo meo sedulo deliberatum ivi, quid in lucem ederem, nullam, quæ studio meo magis apte respondeat materia, quam præsentem offendere, me quivisse fateri ingenuè oportet. Quid? quod incredibile memoratu sit, & hæc pagellæ, quarum edendarum Superiorum indultu facultas mihi facta est, vix ac ne vix quidem capiant, insignem quam spiret utilitatem. Quapropter nullam tum semet-ipsis digniorem, tum magis divinam operam mihi meditari videntur, quam qui, ut omnia bona, ita imprimis, pace Plutarchi dixerim, pro captu humana Nature Dei cognitionem consecrantur, quâ neq; majus donum homo accipere, neq; dignius dare munus homini Deus potest. Ut rectè dixerit Philo: ἡ τῷ θεῷ γνώσις σοφία ἐστὶ καὶ δευτὴ ἀληθινὴ ἡδ' ἀνοία ἀμαθία τε καὶ κακία ἐναργής. Summus itaq; Deus quoniam licet neq; scribi, neq; dici possit, sentimus tamen, loquimurq; de eò frequenter, ut ita saltem Disputationibus nostrum animum excitemus & ad spectaculum divinum dirigamus, ut Plotinus, ait, hoc mihi creditum esse intellexi, ut de hac Dei cognitione quædã accuratiori animo mecum considerarem. In duas v. præprimis Sectiones, quarum altera sit Θετικὴ, quid & an sit Θεογνωσία Naturalis, quibusq; viis ac mediis illa nobis innotescere queat? altera ζητητικὴ non nullas continens quæstiones, totam rem dispescere nobis constitutum est. Quia vero ἀδύνατον est Deum discere sine Deo, ut Iren. habet, & nihil egentius est illa mente, quæ de Deo absq; Deo philosophatur, ut Diadochus meminit,

Πεῦδ' ἢ φίλαν δίδοι Θεός. Sit igitur

SECTIO I. Θετικὴ.

Th. I.

Θεογνωσία Naturalis est Habitus, quo Numen aliquod supremum s. Deum, & existere & infinitè operari, ex solo lumine Nature novimus, incitaturq; ad inquirendum Deum, seclusâ omni ignorantia prætensione.

Ἐκθε

Plus. lib. de Isi. & Osir p. 351. Phil. de profug. Plotin. Ennead. 6. 19. c. 4. Iren. l. 4. ad vers. Heres. c. 10. Diadoch. l. de Perfect. Spirit. c. 7. Pynd. Olymp. Od. l. 1. v. 7.



Ἐκθεσις.

§. 1. Duo hic sunt potissimum ponderanda (α) Definitum (β) Definitio (specialiter atq; in rigore sic dicta.) Illud est Θεογνωσία Naturalis, quod est vox complexa ex duabus incomplexis, quarum altera est Θεογνωσία, altera naturalis. Has vero priusquam conjunctim consideramus, lubet separatim intueri. Atq; Θεογνωσίαν quidem quod attinet, ipsius ponderanda est ὀνοματολογία, quæ tria continet (1) Ἐτυμολογίαν (2) Ὀμωνυμίαν (3) Συνωνυμίαν. Quæ illam, eam Græciæ suos natales debere, cuius est perspicuum. Dicitur etenim ἀπὸ τῆς Θεῶν & γνωσίας. Ubi nova nobis succrescit & Etymi & Homonymi evolutio.

§. 2. Dictum autem volunt Θεὸν alii à θεῶμαι, quod omnia intueatur & cernat, alii à nomine θεῶν (juxta mutationem Æolibus & Doribus usitatam) quod nobis timorem incutiat ac metum, quæ primus in orbe Deos fecit, ut Staius loquitur. Pleriq; ἀπὸ τῆς θέειν i.e. à currendo. Multi enim olim sibi persvaserunt, sidera & stellas, quæ perenni cursu feruntur, esse Deos, uti videre est apud (α) Platonem (β) Macrobiū ex confessione (γ) Scheibleri.

§. 3. Quod ad γνωσίαν attinet, ea omnium consensu, & id præterea postulante ἀναλογία Grammaticâ descendit à Fut. γνώσομαι (tq. à γινώω, ᾧ) verbi γινώσκω l. γιγνώσκω, quod sive veritas nosco aut cognosco s. agnosco s. judico s. sentio s. reputo s. decerno aut discerno s. etiam coeo, corpus misceo, pro diversa rei conditione, non errabis: mihi tantum in præsentī significat nosco s. cognosco.

§. 4. Quæ Ὀμωνυμίαν Θεός est ἐκ τῶν πλεοναχῶς λεγομένων. Summi n. consuevit l. proprie l. improprie. Hoc modo sumitur (α) κατὰ ψεῦδος pro Θεῶ φαινομένῳ, spurio, fictitio & falso. Et sic est l. Objectū depravati iudicii hominum, plus creaturis tribuentium, quàm quod ipsis in sua natura convenit, l. occasio quæ rapit intellectu falso concipiens ab aliquo opere creaturæ similitudinē quandam s. in actione s. in officio habentis, ut creaturam illam habeat pro Deo. Et hæc falsitas non est simplex, sed pravæ dispositionis. Hinc sedulo quoq; hæc distinctio est animadvertenda, quæ distinguitur inter conceptum quod (conjunctionaliter) sc. quod sit Numen aliquod, & quod (pronominaliter) sc. quodnam sit Numen hoc l. illud, s. quod eodem recidit, inter conceptum & ipsius applicationem, ille quidem errore immunis est apud gentiles, hæc verò nequaquam. Unde fit, quod incre-

(α) in
Crateo,
(β) lib. 1.
Satyr.
Cap. 23.
(γ) Me-
taph. l. 2.
c. 3. n. 46.
seq.

incredula ethnicorum gens in literis sacris appelletur ἀθεῶν, & inco-
 gnitum Deum colere. Aristoteles nuncupat ἀπάτην καὶ ὑπόληψιν lib. 2. Pri-
 deceptionem ex falsa subsumptione. Equidem hæc gentilium pro- or. 6. 21.
 positio: DEus est unus, justus ac bonus, ut optima est: ita falsissima
 evadit collectio dum non subsumunt postea de Deo Israelis, verum
 de creaturis v.g. Sole, substituentes falsam hanc assumptionem:
 Sol est Ens unum, justum ac bonum, atq; sic falsam inferunt con-
 clusionem: E. sol est DEus. (β) κατὰ χάριν pro Θεῷ λεγομένω &
 metaphoricè sic dicto, prout partim angeli boni, partim ipsi Magi-
 stratus, & personæ, quas in illustri quadam specula virtus constituit,
 Dii dicuntur; illi ob majorem felicitatem & similitudinem, quâ præ
 reliquis creaturis cum Deo exultant, hi autem, quia magnam atq;
 veram habent similitudinem cū Deo, ob vicariam potestatem agendi
 cum inferioribus; Et sic docet etiam Aristoteles homines δι' ὑπερβολῆς
 ὑπερβολὴν θεῶν γίνεσθαι. Sed verò proprie & κυριολέκτως sumitur
 pro Θεῷ ἀληθινῷ: sumiturq; iterum bifariam l. ὁσιωδῶς essentialiter
 de tribus Deitatis personis, l. ὑποστατικῶς ac personaliter, jam de (α) (α) Joh. 3.
 Patre, jam (β) de Filio, jam (γ) de Spiritu S. Nos h. l. nomine θεῶν 16.
 Dei indigitamus illud Ens, quod est summe perfectum, quod & reli- (β) Joh. 1. 1
 qua omnia superat, & ab eō tanquam à primo autore omnia depen- (γ) Act. 8.
 dent: quodq; summum numen appellare consuevimus. Neq; e- 4.
 nim quispiam inveniri potest, inquit Augustinus, qui non hoc Deum
 credat esse, quo melius aliquid non est. Conf. Voëtius & Suarez. de Doctr.
 Christ. l. 1.
 §. 6. Cæterum nec id pede silentii debemus transilire (1) γνω- Voët. The-
 σίαν τῶν θεῶν s. notitiam Dei esse aliam *subjectivam*, aliam *objectivam*. ol. Nat.
 De hæc nobis sermonem esse, non illâ, ut Notitia Dei idem sit, quod Ref. p. 9.
 notitia de Deo, quivis potest odorari. (2) distinguendum inter No- Suarez.
 titiam s. cognitionem distinctam ac comprehensivam (quæ quid sit, fu- Metaph.
 sius debet explicari) & inter confusam ac apptehensivam. Hanc no- Disp. 29.
 bis jamjam facessere negotium, non illam, utpote quæ nulli Intelle- p. 22.
 ctui creato est possibilis, propter ἀκατάληψίαν atq; infinitatem Dei,
 & finitatem Intellectus creati, satis in aprico est positum.
 §. 7. Hactenus de nomine Θεογνωσίας, nunc ad cognomentum
 ipsius accessio est facienda. Vocatur autem Naturalis (non Civilis aut
 Mythica, quas reliquas Theologiæ species Varro facit citante Augu-
 stino) & quidem non in oppositione ad artificiale, quomodo quicquid
 ab arte profectum, *artificiale*: reliqua omnia, *naturalia* appellan-
 tur

etur; sed in oppositione ad supernaturalem ac revelatam, nempe à suo principio, quod est lumen Naturæ, uti quæ ipsi contradistinguitur, à suo principio, quod est lumen Scripturæ s. revelatio divina specialiter talis, θεογνωσία revelata dicitur. Intelligimus a. per lumen Naturæ illam perfectionem Intellectus, quæ ipsi l. per Naturam inest l. ex viribus propriis & naturalibus est acquisita. Hinc Naturalis vocatur à suo subjecto, cui per naturalem implantationem obtingit & ipsi penitissime inest, & ita (α) non inchoative tantum, quatenus est aptitudo & facultas quædam naturalis per discursum ex accuratiori Naturæ contemplatione petitum sese exerens, sed (β), originaliter & in hæfive, quia statim à primordiis humanæ naturæ inest: (γ) perfectivè, quatenus Naturam exornando juvat, ut proprio Marte, robustiori accedente ætate, quamprimum simplices apprehendere terminos, eosq; componere homo potest, dari Deū, indubitato intelligat δ) transitive, quatenus per Naturam propagatur. Sicuti etenim in morbis hæreditariis usu venit, quod naturales audiant, quando podagrici podagricos, calculosi calculosos generare solent: ita quoq; Parentes naturali Dei notitiâ præditi liberos quoad hanc partem sibi similes producant.

Disp. I. p. 9
Arist. I. 6.
Eth. c. 7.

§. 8. Restat, ut paucis Συνομιάν expendamus. Juxta quam dicitur modò θεολογία, quod sit λόγος non τὸ θεῶν, sed πρὸς τὰ θεῶν, modò φιλοσοφία, modò θεοδιδασκαλία, & per Ellipsin θεολογική vid. ἑπισημήν. Hinc teste D. Kloß in sua Theol. Nat. videtur olim nomen Sapientie obtinuisse, quia est altissima & præstantissima scientia, uti Aristoteles definit sapientiam, & ait ibidem Anaxagoram, Thaletem, aliosq; qui divina speculabantur, sapientes dictos fuisse.

§. 9. Felici nunc pede ex vestibulo ὀνοματολογίας egressi in ipsum atrium πραγματολογίας adscendimus, ubi genus est *Habitus*, isq; non ut notat speciatim vel (1) corporis externi adjacentiam, quo sensu vulgo ultimum inter prædicamenta obtinet locum: vel (2) peculiarem corporis constitutionem, quo sensu Terentius dicit: Si qua habitior est paulo: vel (3) quamlibet rei qualitatem superadditam, qua Subjectum vel bene vel male ad agendum disponitur; quomodo comprehendit etiam Dispositionem & vitia moralia: (plures Habitus significationes vide apud Philosophos) sed (4) indeterminate, quatenus præscindit à cæteris habitibus, & quatenus imprimis notat qualitatem quandam permanentem & de se stabilem in subjecto, per se primo ordinatam ad operationem, primamque operandi facultatem adju-

adjuvantem ac facilitantem, docente Svarezio. Id saltem ex eodem
autore hic observandum venit, quod tametsi in explicanda descri-
ptione ad Habitus acquisitos præcipuè respexerimus: tamen ex se
communis est etiam infusis (& connaturalibus) nam & hi per se pri-
mo ordinantur ad operationem: & quamvis non dent solam facili-
tatem, sed simul aliquo modo facultatem, & potentiam proximam,
eamq; elevant ad tale genus operationis.

§. 10. Etsi autem alias maximopere varient circa genus *θεογνω-
σιας* naturalis, illud constituentes partim *αδύμ*, partim i-
psum Intellectum sive rationem facultate *κρητικῆ* præditam, partim
Reminiscenciam: nos tamen iis pollicem premimus, qui per Ha-
bitum definiunt, quod sic ostendo:

**Quicquid datur in homine ut qualitas quædam permanens
& de se stabilis in subjecto, per se primò ordinata ad
operationem, primamq; operandi facultatem adjuvans
ac facilitans, id est Habitus,**

Sed Θεογνωσία Naturalis ita sese habet, uti recensui E. Major
procedit à Definitione ad Definitum, quæ est collectio evidens. Mi-
nor a. quæ notitiam acquisitam in confesso est: quæ Notitiam autem
insitam etiam facile patere potest inde, quia est *τελείωσις* s. perfe-
ctio quædam, potentia intelligendi superaddita, constanter inclinans
ad assensum, scintillula sapientia primo homini concreata. Conf.
Magnif. Dn. D. (α) Calov. & Excell. Dn. (β) Donati erudite disputan-
tes, utrum insita Naturalis Dei Notitia per modum facultatis, habi-
tus vel Dispositionis aut actus nobis insit? Observes hic præterea
Notitiam insitam Habitum imperfectum dici posse, in oppositione
ad acquisitam; idq; convenientius forsan, quam si Dispositionem di-
cere volueris.

§. 11. Differentia petita est à causa efficiente s. principio, ob-
jecto ac fine. Efficiens & quidem remota est Natura, eaq; vel prima l.
secunda. Illa est Natura naturans & causa Naturæ naturatæ, quæq;
Intellectum implantando etiam notitiam hanc implantavit, non
quidem quatenus hodie imperfecta ac languida est, sed quatenus est
perfectio ac ornamentum mentis nostræ. Hæc est Natura
naturata, quæ vel principalis & propinqua, vel instrumentalis.
Illa est anima rationalis, hæc *δύναμις κρητικῆ* s. Intellectus, non qua-
tenus

*Svarezi.
Met. Diss.
44. Sect. 1.
n. 6.*

*(α) Systē.
Theol. T.
2. p. 78. seq.
(α) Coll.
Pneum.
MSC. h.
1. Quest. 3.*

renus hie notitiæ hujus subjectum est, & ipsa non nisi in illo esse potest, sed quatenus notitiam producit. Actione enim immanente Intellectus agit & notitiam, i. q. suum effectum per vim sibi à Naturâ concessam elicit, & elicita in se recipit. Objectum est Numen supremum s. Deus, uti videre est §. 4. Finem quod attinet, is est i. perse intentus, i. accidentarius est; ille est incitamentum ad ulterius inquirendum de Deo. Quoniam enim naturalis notitiæ beneficio Gentiles sciunt existere DEum, eumq; glorificandum esse ut Deum, modum autem glorificandi ignorant, debent ulterius quærere revelationem divinam in Ecclesia, quæ semper in illustri loco constituta nemini obscura esse potest, ibiq; addiscere modum & normam veri cultus divini. Conferatur Hoepfnerus. Finis accidentarius i. eventus ex abusu notitiarum naturalium profluens est ἀναπολόγησις, & non intenditur, sc. quâ voluntatem antecedentem, sed quâ consequentem.

Th. II.

Θεογνωσία Naturalis alia est ἐμφυτὴ & alia ἐπίκτητη.

§. 1. Fundamentum hujus distinctionis supra tetigimus, circa finem §. 7. ubi diximus, quid per lumen Naturæ intelligamus. Differre a. inter sese ἐμφυτον & ἐπίκτητον ostendit diversitas (1) originis (2) subjecti & 3) objecti. Quia originē utraq; quidem Intellectui hominis inest, insita tamen prius, statimq; à primo nativitatis puncto (quâ actum primum sc.) acquisita autem crescente ætate atq; judicio per creaturarum intuitum naturaliter discurrendo acquiritur. Subjectum quod spectat insita secundam mentis operationem inhabitat, sicuti omnes κοινὰ ἐννοιαί, estq; ne pueris quidem deneganda: Hæc vero s. acquisita in tertia mentis operatione residet, quatenus ex contemplatione effectuum Dei ipsius essentiam vi discursus naturalis colligit, ac ita in infantibus, menteq; captis dari nequit. Ratione Objecti: insita enim versatur circa in Dei existentiam, bonitatem ac sanctitatem; acquisita verò circa attributa ac opera reliqua. De proprietatibus nihil nunc dicam, n. quod illa hæc sit certior, non quidem ratione sui, sed respectu hominum, quippe quæ intimius Naturæ inhaeret.

Th. III.

Θεογνωσία Naturalis ἐμφυτὴ est Habitus primorum principiorum de Deo intellectui per Naturam sine prævia informatione impressus, eundemq; perficiens ad actualiter cognoscendum DEum. ἐκθεσις.

§. 1. Dicitur ἐμφυτὸν ab ἐμφοῦμαι, *ingeneror, innascor*. Unde Latinis etiam *insita* sive *innata*, it. *subjectiva*, à subjecto suo nativo, animâ sc. dicitur, in oppositione ad *objectivam*, de quâ in præcepto sequente. Theologi vocant *reliquias imaginis divine*: B. Gerhardus vocat *librum Naturæ internum* (quem tamen alii ipsam mentem humanam vocant) à Philosophis κοινὰ ἔννοια, *communes notiones*, atq; *axiomata nobiscum nata*, appellari solet. Tullio (β) dicitur *antici* (β) l. 1. de *patio quædam Deorum*, quam appellat Θεοληψία Epicurus. (γ) O. Nat. Deo- biter observo circa *principia de Deo nobiscum nata*, ea esse vel *Theore- rum num- tica vel practicum*. Illa hæc constituunt enunciationes: Deus est, 43. Deus est unus, Deus est bonus, justus &c. Hoc: Deum colito. (γ) 16.

§. 2. Latere autem quoddam in nobis divinitatis semen statim à Naturæ primordiis, quod licet in tenera ætatis origine nondum germinet, verum ad tempus maneat reconditum, simul ac tamen ad virescentem ætatis herbam pervenerit, sic ut rationis acumen sese exerere incipiat, illud latens semen jam herbescens, non ab extra sed ab intra provocatum statim sua naturâ hominem in actualem DEI notitiam rapere, in luce eruditus est positum; non obstante, quod alii aliter jamdudum docuerint & adhuc doceant, quâ de re confer disputata à nobis infra in Qvæst. 3.

Th. IV.

Θεογνωσία Naturalis ἐπίκτητη est *Habitus aliqualis Dei cognitionis accuratâ rerum creaturarum contemplatione vi discursuis naturalis comparatus.*

Ἐκθεσις.

§. 1. Ἐπίκτητον vocant ab ἐπικτηόμεναι (quod ex ἐπί & κτάομαι componitur) *in super acquiror*. Latinis *acquisita* seu *adventitia* it. *objectiva* dicitur in oppositione ad *subjectivam* (de quâ supra) quod non à Natura nobis insit, uti *subjectiva*, sed demum acquiratur ex studiosa contemplatione hujus Objecti. Unde quivis videt facile, nos hîc non agere de cognitione per *revelationem*, sed per *creaturas acquisita*.

§. 2. De cætero, quod hæc notitia sit *Habitus*, satis elucet exinde, quod crebris operationibus *acquisita* dicatur. Ex contemplatione autem rerum creaturarum, & ita à posteriori Deum posse cognosci licet inhabitet lucem inaccessibilem, ante oculos est positum.

B

Nam

Nam sicuti ex memoria rerum, ex inventionis subtilitate, celeritate motus, omniqve pulchritudine virtutis, vim mentis agnoscimus, quamvis oculis ipsa non pateat: simili ratione Deum mentemq; illam æternam ex effectibus (quorum præcipui sunt (1) creatio (2) rerum creatarum varietas & ordo (3) rerum creatarum sustentatio, gubernatio &c.) dilucidè perspicimus, illius enim virtus per omnia diffusa singulis calorem, spiritum, vitamq; impertit. Qua de re eruditè concionatur Paulus ex Arati sententia.

Th. V.

Tres vero imprimis sunt modi, per quos Deus ex suis operibus cognoscitur (1) est modus sive via causalitatis (2) via Eminentia (3) via negationis.

Ex thes.

§. I. Has tres vias sive modos, quibus intellectus humanus extra verbum Dei ad aliquam ipsius Dei cognitionem pervenire potest, anima pandit Natura, ingenium excolit humanum, & Dionysius (8) maximè, cum omni Scholasticorum turba trivit diligenter, ac saniores quicunq; ὁμοθυμαδὸν selegerunt Philosophi. Et hinc tres classes attributorum sive prædicatorum divinatorum statuuntur: sc. attributa negativa, ut est *immutabilitas*: positiva absoluta, ut est *sapientia*: & deniq; positiva relativa, ut *esse causam primam*.

Th. VI.

Via Causalitatis est quâ intellectus hominis ex effectis sive Creaturis Dei, tanquam ex simulacris elevatur ad ipsum Deum, tanquam causam quæ omnium suprema, nulliusq; effectus rationem in se recipit, eiq; tribuit omnes perfectiones, quas in creaturis deprehendit, tanquam ab ipso oriundas. Dicitur aliàs ipsi Thomæ (e) *Via affirmationis & via per habitudinem principii*.

Ex thes.

Dux imprimis sunt columnæ, super quas hæc structura est ædificata, una est: *Quacunq; sunt, ab alio sunt, præter id à quo omnia*. Intellectus enim noster ponderando totam hanc mundi machinam, tamdiu hinc inde grassatur, donec in cognitionem causæ constituentis elevetur: nec secus fieri potest, quam ut visò aliquò effectu, incipiamus cogitare de causâ, eamq; inquirere; & inde juxta Aristotelem

(8) c. 2. de
Myst.
Theol. &
de div.
nomin.
6. 7.

(e) part. 1.
Quest. 3.

telem Philosophia sumit suum initium. Illud enim à Natura Intellectui datum est, ut colligat de se & concludat firmiter ab opificio ad opificem, à creaturâ ad creatorem. Sicut enim alias operationes indicant essentiam: ita etiam operationes divinæ docent nos de essentia divina. Est enim ex numero ἀδυνάτων, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic prius esset seipso, esset & non esset, quod quid absurdius? Hinc fit ut omne, cum tertium non detur, originem ab alio trahat, præprimis immotè stante altera: nempe, cum hoc ab illo, & illud ab alio moveatur, ad sistendum istum progressum, oportet, ut deveniatur ad aliquod primum movens, nisi vel in circulo commeari, vel in infinitum abire velimus, quod utrumq; absurdum. Et sic Deum vocamus primum motorem. Egregiè hanc in rem disputat Philosophus (ζ) & Conf. omnino Dn. Præsidis Exercitationes de *Atheismo* Th. IX. §. 3. seqq.

(ζ) l. 8. Phys. & l. 12. Metaph.

Th. VII.

Via eminentiæ s. perfectionis est, quâ Intellectus noster Deum cognoscit, tribuendo ei omnes creaturarum perfectiones, purificatas ab adjunctis illis imperfectionibus, adeoq; longè eminentiori gradu, quàm in creaturis sunt.

"Exsecis.

Neq; enim creaturarum perfectiones e. g. vita, sapientia, justitia voluntas, & similes, ita tribuendæ sunt Deo, ut sunt l. in homine, l. in angelo, sed gradu longè excellentiori, adeoq; infinito. Ratio diversitatis facilè patet ex infinitâ Dei perfectione, inter quam & creaturarum perfectiones nulla planè est proportio per canonem Philosophicum: atq; quas creaturæ perfectiones *dependentè* & *participativè*, eas omnes creator *essentialiter* & *à se* possidet. Hinc rectè dixeris: DEum esse ipsam sanctitatem, ipsam justitiam, sapientiam &c. utpote, quæ à parte rei cum divina essentia idem sunt. De quo ex professo Θεόσοφοι. Confer Svaregium, (η) eruditè disputantem, *qualiter DEus omnes perfectiones contineat eminentè?*

(η) Tom. 2. Disp. Metaph. 35. d. 46 & 47.

Th. VIII.

Via Negationis est, quâ Intellectus noster DEum cognoscit, removendo de eò, tanquam Ente perfectissimo, ac ne-



ac negando omne id, quod imperfectionem aut defectum aliquem importat in rebus creatis.

Ex Jeremias.

(7) in Ps.
84.

(1) in Me.
taph. part.
spec. l. 1. c. 1
tit. 1. art. 3.

Dicitur *Via Negationis*, quatenus nempe ob commodiorum vocabulorum defectum vocabula negativa adhibere cogimur; quippe facilius longè est dicere, quid non sit DEUS, quàm quid sit, auctore Augustino (7) Notandum autem, voces quidem esse negativas, attamen formales conceptus esse positivos & rei positivæ: Estque negatio *termini*, non *rei*. Distingvendum igitur inter negationem, quæ *necessariò* inest, & quæ *contingenter*. vid. Scheibl. (1) inter attributa *formaliter* considerata & *materialiter* sive *fundamentaliter*. Priori modò tantùm negant & remonent aliquid ab essentia, posteriori dicunt positivam quandam perfectionem. Sic attributum Dei negativum est e.g. *immutabilitas*, quæ *formaliter* quidem dicit negationem potentia passivæ, sed *materialiter ac fundamentaliter* tamen involvit absolutam necessitatem, quâ DEUS non potest non esse; Itæ immortalitas, quâ DEUS non potest mori, sed semper vivit: Quoniam itaq; omnibus numeris absoluta perfectio omnem excludit imperfectionem, & DEUS est Ens perfectissimum, omnes imperfectiones sunt à Deo removendæ. Ipse enim cùm sit actus purissimus, nihil potest excogitari, quod in illo requiratur: Quin imò quamvis perfectionem conceptibilem etiam continet. Omnes creaturæ militantes sub vexillo mobilitatis, tanquam inopes moventur ad quærendum, quod ipsis deest: DEUS autem se movendi causam nullam habet. quippe omnia replens. Creaturæ mixtæ sunt ac diversæ, in Deo nequit reperiri distinctio propter summam illius simplicitatem, ita ut illius esse sit illius essentia, illius essentia illius sit potentia, illius potentia sit illius voluntas, illius voluntas sit illius intellectus, illius intellectus sit illius intentio, illius intentio sit illius sapientia, illius sapientia sit illius bonitas, illius bonitas sit illius justitia, illius justitia sit illius misericordia. Quæ etsi habent distinctos effectus, realiter tamen sunt unum & idem.

SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

QV. I.

An omnes homines, uti à natura omnia, ita & Deum scire desiderent?

Εξή.

Ἐξήγησις.
§. 1. Quoniam ex superioribus constat vocem *Naturā* esse ex
iis, quæ *πολλαχῶς λέγονται*, sedulo ipsius hīc erit notanda indo-
les. Missis autem significationibus aliis, quas admittere amat, in præ-
senti sumitur pro naturali quadam conditione, qua non potest non
homo id agere, quod natura agere dicitur.

§. 2. Deinde desiderare dicitur appetitu non semper *elicito*, sed *na-
turali* ac *innato*, qui primus est appetendi actus: Et est duplex, unus
fundatur in naturali potentia *passiva*, estq; naturalis inclinatio ad a-
liquid recipiendum: alter in naturali potentia *activa*, estq; naturalis
inclinatio ad aliquid agendum. Posterior nobis jam attenditur; quia
sicuti calidum ad calefactionem, ita intellectuale ad intellectionem
habet suam inclinationem, estq; propterea operatio hominis, quan-
tum intellectualis est, intelligere & scire.

§. 3. His ita positis Quæstionem affirmamus probamusq; hoc
modo: Omne Ens appetit sui perfectionem & naturali instinctu, in
suum fertur finem, qui est ipsa rei perfectio. Cū verò scientia no-
stra per lapsum protoplastorum turpiter sit corrupta & labefactata;
jam sua sponte fluit, quod Deum scire tanquam Ens summè bonum,
summè perfectum, summeq; præstans, naturā homines desiderent.
Quid? quod omnes effectus in genere convertuntur ad suas causas.
Plantæ laborant, quantum possunt, ut quærant Solem. Pisces nun-
quam exeunt aquā, pullus ovo exclusus mox sese sub aliis gallinæ fo-
vet, & sequitur illam, quocunq; ierit. Recte Philosophus: *πάντες
ἄνθρωποι τὸ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει*. At vero *θεογνωσία* nihil aliud
infert, quàm cognoscere (etsi cognitione saltem qualicunqve)
DEUM, omnes autem cognoscere ex implantato quodam deside-
rio conantur teste Philosopho. Ergo ipsum etiam *θεογνωσίας* de-
siderium per Naturam hominibus inest.

QVÆSTIO II.

*An θεογνωσία Naturalis pertineat ad Philosophiam
& in specie ad Pneumativam?*

Ἐξήγησις.

§. 1. Notum ego existimo satis tritum illud vetustate pro-
ver-

verbum : *Deum esse & credibile est & intelligibile*, hoc est, Deum esse & scientia est & articulus fidei, potest enim fieri, ut unum idemq; objectum simul sit scientiæ & fidei. Scitur per evidentem demonstrationem, & creditur per divinam revelationem. Licet enim fides formaliter non sit scientia, interim Subjectum potest esse scibile, ex alio capite. Ac ita distinguimus inter fidei objecta simpliciter & secundum quid talis, inter *πιστὰ* & *πιστὰ κατὰ τὴν*. Hæc dicuntur, quæ equidem ex lumine gratiæ nobis patent, nihilominus tamen ex lumine Naturæ nobis innotescunt, sicuti se habet *DEUS*. Et ita *θεογνωσίαν* naturalem, quæ hauritur ex Natura, affirmamus omnino pertinere, sicuti cæteros habitus, ad scientias, non ad *θεολογίαν* revelatam, sed ad Philosophiam.

§. 2. Quemadmodum autem *DEUS* in Theologia consideratur, ejusque consideratio *πρώτως* & secundum essentiam peculiarem facit articulum, *ἰδίως* autem, quantum ad opera, varios constituit articulos, ut articulum de creatione, prædestinatione, electione; sic in philosophia spectatus, variis attribuitur disciplinis. Aristoteles quem tantum non infiniti sequuntur, Metaphysicæ subjicit, alii physicæ, alii constituunt peculiarem disciplinam (quod adprobat Pererius (α) cujus sit Deus Objectum totale & adæquatum. Misso autem Aristotele, qui contemplationem separatorum singulari instituto, non tam per modum partis, quam in appendicis (ut sentit B. Scharffius (β)) comprehendit: Resp. ad Scheibleri (γ) rationes (1) Negando, quod nullæ aliæ disciplinæ isto modo (sc. absolute) agere possint de Deo. (2) non valet consequentia: nullæ agunt disciplinæ de Deo, E. Metaphysica. Licet etenim in ea agatur de Ente infinito, adeoque de Deo etiam, tamen in genere tantum agitur de Ente infinito in quantum ille terminus *infiniti* consideratur & explicatur: non secus ac ibidem agitur de Ente materiali, creato, & tantum explicatur quid nominis? & an sit? ulterior verò explicatio scientiæ relinquitur inferiori. Accedit, si in Metaphysicis tractari deberet de Spiritu, tum eodem prorsus jure tradendum ibidem quoque esset de corpore, quia æq; corpus sub Substantia continetur, quam Spiritus. Sed vero Consequens vix ipsi Dissidentes admittent, aut si admittant, cur in praxi contrarium ostendunt? Nec obstat, quod dicant, disparem esse Spiri-

(α) l. 1. de
Philos. c.
6. & 7.
(β) in
Præfat.
Pneumat.
(γ) l. 2.
Metaph.
c. 3. n. 10.

tus atque corporis rationem. Nam quod de corpore in Metaphy-
sicis non agatur, obstaculo esse abstractionem secundum rem & ra-
tionem, utpote quæ bene Spiritui, minimè autem corpori conve-
niat. Sed Resp. eos petere principium. Probandum enim prius ipsis
erit, abstractionem illam secundum rem & rationem, Metaphysicæ
competere, etsi non negemus aliàs abstractionem secundum indif-
ferentiam sive permissivam, (ut vocant) ei competere, hanc vero
abstractionem Spiritui non competere est manifestissimum.

§. 3. Quod autem quidam singularem disciplinam extruere
satagant, miror; quia DEUS partiale tantum, non totale philoso-
phicæ disciplinæ est objectum, & sub uno objecto generico ac no-
tione communi Substantiæ spiritualis DEUS, Angeli, & anima ra-
tionalis comprehenduntur. Sed quia vela sunt contrahenda, tota
res breviter erit expedienda. Distingvimus igitur inter conside-
rationem DEI absolutam & respectivam; secundum illam i. e.
suam substantiam quid sit, pertinet ad Pnevmatologiam: secun-
dum hanc i. e. ratione nonnullorum, attributorum ad varias per-
tinet disciplinas; sic e.g. in Metaphysica consideratur ut causa effi-
ciens principalis omnium rerum, in Physica, ut primus motor o-
mnium rerum, in Ethica, ut prima causa virtutum, Politicâ ut
rerum publicarum causa remota. Ac ita evenit, quod hi diversi
respectus non denegent DEO tanquam subjecto disciplinæ partiali
propriam sedem disciplinarem. Quoniam verò Metaphysicè non
est agere de Ente partiali, nulli convenit commodius disciplinæ,
quàm Pnevmaticæ, utpote ubi distinctum subjectum *intelli-*
gentia, distinctus modus considerandi immateriata,
quid officit, quin ipsi adscri-
batur?

Co.

COROLLARIA.

I.

Θεογνωσία Naturalis est vera, contra Flacium.

II.

Errant, qui veritatem duplicem statuunt, u-
nam Naturalem s. philosophicam, alte-
ram supernaturalem s. Theologicam, con-
tra Fortunatum Crellium, & alios.

III.

Θεογνωσία per Naturam Intellectui est impressa,
contra Aristotelem (α) Socinum (β) Crell-
lium (γ) Thomam (δ) Richardum (ε) Her-
væum (ζ) Durandum (η) Capriolum
(θ) Vasquez (ι) Gregorium de Valentia
(κ) Suarez. (λ) & alios.



Επίγραμμα.

Quem tribus ac ultra fovit Te Leucoris annis,
BRAUNI, jam dudum Fautor amate mihi;
Num laudem, laudat quem Dissertatio? Nolo.
Egregio vino non opus est hederâ.

Ita affectum testabatur Clarissimo

DNO, M. BRAUNIO, FAUTORI & AMICO
suo honoratissimo.

PRÆSES.

(α) l. 3. de
anima c.

4.

(β) Prel.

Theol. c. 2.

(γ) de Deo

& attribu-

tis divinis

(δ) part. 1.

Sam. Q. 2.

art. 2.

(ε) dist. 3.

art. 1. Q. 2.

(ζ) dist. 3.

Q. 2.

(η) dist. 3.

Q. 3.

(θ) dist. 2.

Q. 2. art. 2.

(ι) Dissut.

29.

(κ) Q. 2.

punct. 1.

(λ) Diss.

Met. 29.

sect. 3.

Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3




Sl.

U 3 17







B.I.G.

Farbkarte #13

7

B. V.

ACADEMICA

NATURALI

Duce

ALBIM ATHENAEO

IDIO

ni atq; Doctissimi

INI GREISSING,

lyani, ac Serenisf.

, Alumni

tray disquisitioni

icit

ESPONDENS

DERICUS BRAUNILIS,

cus, Serenis. Elect.

umnus.

nuar. An. Ær. V.

LXXVIII.

BERGÆ,

MNDI Ziegenbeins,